

10. Consideratur autem modus iste differentiarum, vel respectu personarum inter sese invicem consideratarum: vel respectu Essentiae divinae, quâ quaelibet persona, non ex parte (nullam enim habet) sed ex toto communicat.

11. Priore modo consideratae tres illae personae in eadem Divinitatis Essentiâ, Producentium & productorum rationem obtinent, ac proinde nunquam una dici potest aut praedicari de altera neque una alteri inesse, vel tanquam pars constituens, vel ut accidens quoddam: Sed profus sunt & manent incommunicabiles, ita ut neque Pater unquam possit esse Filius, aut vice versa, Filius Pater, neque Spiritus sanctus possit esse alteruter.

12. Ex quo consequitur, ut tria haec, sive tres haec personae, quamvis respectu unius numero Essentiae divinae, non tam communicare, quam aliquid simpliciter & ὁμοσιωδῶς esse dicantur; differant tamen à se invicem, non quidem Essentialiter: Hac enim ratione Essentia divina in tres separatas ac distinctas Essentias discerperetur: Imò tres Dii constituerentur.

13. Neque etiam τῷ λόγῳ sive ratione, hoc est, nudis aut inanibus tantum relationibus: Hoc enim pacto una duntaxat foret persona, quae modò Pater, modò Filius, modò Spiritus sanctus diceretur: Quod Sabellij fuit delirium.

Quam